

pabantur. Sic adhuc a. 1629 in Hercegovina inferiore exstabat traditio illos populos ante 300 annos a Franciscanis de haeresi ad fidem catholicam conversos fuisse;³⁵ qui sane illuc excurrerant de memoratis conventibus ejusdem Vicariae, quos jam inde ab a. 1349 in territorio reipublicae Ragusae habebat.³⁶ His enim temporibus respublica construxit Franciscanis bosnensibus quatuor conventus unum post alium, eo potissimum fine, ut huc affluentes haereticos patarenos et schismaticos converterent et apud sic conversos curam pastorem gererent;³⁷ quod ipsi reapse et fecerunt usque ad a. 1471, quando sua sponte et ex s. Sedis concessione hoc munus presbyteris saecularibus remiserunt.³⁸ Similiter et in insula Krapanj prope civitatem Šibenik, Franciscani ejusdem Vicariae populum a Turcarum timore fugientem incolarunt ibique suum conventum a. 1436 fundarunt atque ab eodem tempore curam illius populi ut parochi ducunt usque hodie. Ideoque illa parochia ipsa foundatione, titulo privilegii pontificii (quo tunc fratres gaudebant de novo parochias fundandi), atque ipsius praescriptionis est regularis, respectivo conventui incorporata.³⁹

Praeterea, in insula Arbes, loco dicto Campor Franciscani hujus provinciae jam a pluribus saeculis usque hodie curam populi illius loci et parochiam tenent. Anno videlicet 1446 in Campor fundatum est monasterium Franciscanorum,⁴⁰ eique in possessionem data contigua ecclesia S. Eufemiae.⁴¹ Ante ipsorum adventum munere pastoralis illius villae fungebatur unus presbyter saecularis sic dictus »mansionarius«, residens in ipsa civitate Arbes, qui diebus dominicis et festis excurrerat dicere missam in cappella rurali de Campor. Sed hic usus brevi postea in desuetudinem abiit, nam opus non erat excurrendi, cum populus in neoerecto conven-

³⁵ Fermentžin, Acta Bosnae, 385 n. 1268.

³⁶ Conventus Stagni a. 1349 aedificatus, Umblae a. 1393, Slani a. 1399, Canaliū a. 1429. Fermentžin, Chronicon, 8 nota 1, 13, 16.

³⁷ Fermentžin, Acta Bosnae, 54—56 n. 291.

³⁸ Farlati, VI, 186.

³⁹ Fabianich D., Storia dei Frati Minori, II, Zara 1864, 120—123.

⁴⁰ Ibidem, 74.

⁴¹ Arch. con. in Campor.